



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Schluß des Jahrs 1647. biß in den Monath Junium des Jahrs 1648. zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt ...

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1735**

**VD18 90103157**

N. I. Rationes, quibus contenditur, Alsatiam ab Imperio R. Germ. non esse separandam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52461)

1648.  
April.

N. I.

1648.  
April.*Præsent. 23. Aprilis,  
1648. Osnabrugis.**Rationes, quibus contenditur, Alsatiam non prorsus & plane ab Imperio Romano-Germanico separandam esse.*

1.) Alsatiam, nec non alias Provincias, Coronæ Gallia a Domo Austriaca cessas esse & fuisse Membrum, imo ex parte, Patrimonium, non Austria, sed Imperii, ejusque oneribus & honoribus subjecta, extra controversiam est positum.

2.) Unde sequitur, corpus suis membris mutilum, deformitatem non modo, sed & debilitatem contrahere, quod nemo facile admittit.

3.) Eoque ipso portionem onerum jam olim hisce partibus impostam, reliquis accrescere, earumque conditionem duriorē & deteriorem reddi.

4.) Cum primis vero non nihil de exemptione hac conqueruntur ii, qui immediate sub Imperii jurisdictione & in statu suo permanentes, modo dictis Provinciis intermissi sunt: dum Causas, Actiones, Commercias, quæ sibi olim cum concivibus intercesserunt, jam cum extraneis quasi pertractare, jusque sibi ab anteriore diverfum dici, perpeti coguntur.

5.) Estque & in hoc non nihil difficultatis, quod tam mododicti, quam alii remotiores Imperii Status, cum concivibus, amicitia & nexu semper strictiori junguntur, cum eos eadem continet obligatio tam circa onera quam commoda.

6.) Quod si Fœdera pangenda, auxilia ferenda &c. minus id alit querimoniam rationabilis, si adversariis prætextus amputetur, hæc per Non-Cives, aut cum Non-Civibus, ad quos res hæc nec pertineat, & quorum non interfit, agitari.

7.) Quantum securitatis, tam Coronæ quam Statibus sit accessurum, si Corona Comitibus tam Universalibus quam Particularibus, toties quoties interesseret, cum reliquis Statibus, seu Capitis seu Membrorum, non nunquam emergentes cupiditates sequiores, interverteret & amputaret, quilibet facile comprehenderit, id quod aliter secundum proverbium: *Hec nihil ad te; aut: culpa non caret, cum negotio ad te non pertinenti te immisceas*, effectum fortiri non poterit.

8.) Promisit Corona, casu necessitatis, & Turca irrumpente, subsidiarum non nihil conferre. Compertum autem est, Cæsares æris egentes, prætextu hoc, Statibus multoties imposuisse; id quod Corona evenire non minus evitare poterit, quam ubi Statibus juncta fuerit.

9.) Dubium non est, Austriam Burgundiones Imperio intrusisse, ut, quæ inibi agerentur, Hispanis innotescerent, iique hoc velo multa obtegere obtinereque possent; num eadem ratio Gallis proficua an noxia esse possit, ipsimet conjiciant.

10.) Quæ Moguntinus Præsul, tempore Electionis Caroli V. Imperatoris ex Lege Aureæ Bullæ, Germanum asserendo Gallum protulit, extra considerationem non cadunt.

¶ 3

Summa